

Cap. XLVIII. Rubrica de mensuris turclario-
rum et canalibus ipsarum.

S tatuimus quod quelibet persona habens turcle- // riam prope 267 B
muros civitatis Tergesti ponere debeat et facere poni in
5 dicto muro unum chanale de lapidibus inmaltatum, ita quod
ipsi muri amplius non ronpantur, et tale canale sit strictum
taliter quod aliqua persona per ipsum intrare vel exire non
possit, sub pena libr. decem par. pro qualibet persona contra-
fatiente, et persona contrafatiens nichilominus ipsum canale
10 teneatur facere. ¶ Et quod quelibet persona habens turcleriam
aliquam, sive maxenam pro olivis fatiendis, habere debeat me-
cenos pro qualibet turcleria sive maxena,¹⁾ qui sint equales
unus alteri, et quod turclarii ipsarum turclariarum vel maxe-
narum, quando ibunt ad domum alicuius pro olivis recipiendis,
15 ipsos mecenos secum habere vel portare debeant et teneantur
et²⁾ cum ipsis³⁾ ipsas olivas mensurare, sub pena quadraginta
sold. pro quolibet turclario contrafatiente; qui mecenari fieri de-
beant per iusticiarios comunis; et patroni sive turclarii ipsarum
turclariarum vel maxenarum non sint ausi laborare aliquas
20 olivas, nisi primo habueri[n]t dictos mecenos, sub pena decem
libr. par. pro quolibet patrono sive turclario, et nichilominus
ipsos mecenos habere teneantur. ¶ Et quod nulla persona au-
deat portare vel portari facere aliquas olivas ad aliquam tur-
clariam sive maxenam, excepto quam turclarii ipsarum, sub
25 pena quadraginta frx. contrafatientium, et patroni ipsarum
maxenarum sive ipsi turclarii maxenare debeant et facere ma-
xenari olivas, et noglum ipsarum stricare ad beneplacitum
dominorum ipsarum olivarum. ¶ Et si domini // ipsarum oli- 268 A
varum volent ne noglo predicto, tunc patroni sive turclarii
30 predicti eidem dictum noglum dare teneantur, sub pena qua-
draginta frx. pro quolibet patrono sive turclario contrafatiente.
¶ Et habere debeant unam libram vitream, cum qua mensura
mensurare debeant dictum oleum sub nominata pena. ¶ Et
patroni ipsarum turclariarum sive maxenarum habere debeant

¹⁾ maxima.

²⁾ Aggiunta sul rigo.

³⁾ Aggiunta marginale.